

05

A

655



I
P

S
A



IN NOMINE JESU, SUMMI DOCTORIS !

DECANUS

THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI,

D. JOHANNES *Deutschmann*/

PROFESSOR PRIMARIUS, COLLEG. THE-
OLOGICI SENIOR, ACADEMICI TEMPLI PRÆ-
POSITUS, ET ALUMN. EPHORUS,

FIDEI, SPEI QVE
TEMPLUM,

SUB DIVINÆ GRATIÆ FELICIBUS AUSPICIIS,
IN TEMPLO SANCTORUM OMNIUM,
AD SOLENNEM DOCTORALEM AULAM

THEOLOGICAM,

IN SUPREMI NUMINIS HONOREM,
ECCLESIAE MILITANTIS FLOREM,

ET DOCTORANDORUM CONTINUAM
FELICITATEM,

INTIMAT,

ET AD DIEM JOVIS, VI. OCTOBRIS, FUTURUM

OMNES LECTORES, RELIGIONIS,

ET PIETATIS, AMATORES,

AD PANEGYRIN DOCTORALEM,

DIVINITUS DONATAM,

EA, QVA PAR EST, REVERENTIA,

PIIS PRECIBUS INVITAT !

(1698)

IN NOMINE JESU, MAGISTRI DOCTORUM!



Idei Festum adest in fastis, adest in Dei promissis, adest in divinis beneficiis! jubilate Deo omnis Terra: Psalmum dicite Professores omnes, atq; Cives, Academia nostræ: Date gloriam laudi ejus Homines Dei, Doctores, & Auditores Theologia: Dicite: Quam terribilia sunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuae, fallentur inimici tui, Pietistæ cum omnibus Veritatis hostibus: Omnis terra adoret te, & psallat tibi: Psalmum dicat Nomini tuo, Sela! Venite, & videte opera Dei: terribilis in consiliis suis filios hominū? dicimus cum Davide, Hierop salte, Psal. LXVI. 1. seqq. Spei Festum adest, comes intima, parastatis optima Fidei, soror arctissima. Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo, Salutaris nostro: Praoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei! Quoniam Deus Magnus Dominus, & Rex Magnus super omnes Deos, quia in manu ejus sunt fines terra, & altitudines montium ipsius sunt: quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & terram manus ejus formarunt. Venite, adoremus, & procidamus, & benedicamus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus, cantamus iterum cum Psalmista, Psal. XCV. 1. seqq. Festum Fidei, Festumque Spei, conjuncta sunt Festa! Conjuncta sunt in divina Providentia, in divina benevolentia, in divina beneficentia! Fides, & Spes, par nobile Sororum! Sunt Fides, & Spes, Filia Dei, sunt partim secundum historiam, partim antiquam traditionem, partim pictorum vulgares imagines, sanctæ Virgines, sunt virtutes Ecclesie, sunt animarum fidelium, & in primis Theologorum, vel Dei Virorum, divitiæ, delicia, letitia! Dicit hoc Par nobile Sororum cum Imperatore Julio, Veni, Vidi, Vici! Venit hoc Nobilissimum, & Amicissimum Par in Nomine Domini, nobisque



05 A 655

que divitiarum divinarum evidentissima, locupletissima-
que fecit indicia! *Vidit magnalia Dei Nostri*, merasque
gratie caelestis delicias nobis attulit: *Vicit* in virtute Do-
mini gravissimas *criminationes*, plurimas malorum *ten-*
tationes, maximas adversariorum *persecutiones*, & meras
nobis à Deo *pacis latitias* contulit! *Venit, Vidit, & Vicit*
ante biennium, dum insignem *Festivitatem Doctorem* pe-
perit, & *Duum Viros Doctores Egregios* Ecclesiae, magno cum
fructu, genuit. *Fertiles* nobis fuerunt piissimae *Sorores*. Sed,
per divinae *benedictionis* abundantiam, hoc anno *Collegia*
nostro longe *foecundiores* sunt, dum numerum pristinum
non *duplicant*, sed magis, quàm *triplicant*, & *Gratia Dei* pleni-
orè *latitiã* nobis prælagire videtur, *Dies Fidei, proximo Jovis*
Dies, nobis erit *gratus Dies, Festus Dies, Letus Dies*, est *Jovis*
Optimi Maximi Dies! merito proinde piis *voctis*, atq; *precibus*,
cum Davide nobis exclamandum, Ps. CXIIX. 23. *A Domino*
factum est illud, & est in oculis nostris mirabile! Hæc est *dies*,
quam fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea! *Dies hic*
Fidei toti Christianorum *Ecclesie*, toti que *Patrie* nostræ
memorialis, & maxime *memorabilis* est! Attulit ante bien-
nium, cum ipso DOCTORATU SACRO, RUTÆ SAXO-
NICÆ GERMEN AUGUSTUM, REGI MAXIMO DIU
DESIDERATUM PRIMOGENITUM, EMINENTISSI-
MÆ SAXONUM DOMUI HEROICUM ANTISTI-
TEM, JUVENTUTIS SAXONICÆ PRINCIPEM, PER
DIVINAM BENEDICTIONEM MAXIMÆ FIDEI, MA-
XIMÆ SPEI, MAXIMÆ REI, FELICISSIMIS AUSPI-
CIIS DUCEM! Hæc est, hæc erit, & semper manebit la-
titia plenissimæ *Dies*, quam fecit Dominus, exultemus, &
letemur in eâ! *Cantate Domino canticum novum, cantate*
Domino omnis terra, cantate Domino, & benedicite nomini
ejus: annunciate de die in diem salutem ejus. Annuncia-
te inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus!

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis terribilis est, super omnes Deos. Quoniam omnes Dii Gentium Elitum, Dominus autem Cœlum fecit. Laus & magnificentia in conspectu ejus, robur & decus est in sanctuario ejus, affer te Domino familia populorum, offerte Domino gloriam & honorem, Afferte Domino gloriam Nomini ejus! Tollite hostias, & introite in Atria ejus. Adorate Dominum in ornatu sancto; commoveatur à facie ejus universa terra: Dicite in gentibus, Dominus regnavit, & paravit orbem terræ, qui non commovebitur, judicabit populos in æquitate, letentur Cœli, & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus, gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua, dicimus cum Devotissimo Regum, Davido Ps. XCVI. vers. 1. & seqq. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea. Est dies fidei, post tot preces, & lacrymas, post tot gemitus & suspiria, post tot desideria, per Divinam Providentiam confirmatæ per Dei gratiam consummatæ! Est Dies Spei firmiter fundatæ, per divinas revelationes, & promissiones, consolidatæ, & in piorum fiducia confortatæ! Est Dies paternæ gratiæ, qua Cœlum nec meliorem, nec majorem, nec exoptatorem, afferre voluerat! Est Dies divine non tantum, sed & uberrimæ Benedictionis, ex qua in Benedicto Semine mulieris, SEMEN SAXONIÆ BENEDICTUM, non RIVULUS, aut FLUMEN, sed ipsum MARE multiplicis, vel etiam omnigenæ benedictionis erit! Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea! Sit semper hoc AUGUSTUM SAXONIÆ SEMEN, ita benedictum, ut Spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & timoris Domini, in omnibus ILLUD instruat, ac influat, IDEM IN OMNI VIA,
IN

IN OMNI VITA, rectissime ducat, & cuncta SERENISSIMI
VIGORIS, ILLUSTRISSIMI FLORIS, & EMINENTISSI-
MÆ FELICITATIS SEMENTA, INCREMENTA, STA-
BILIMENTA, & ORNAMENTA, MENSURIS ABUN-
DANTISSIMIS, in HUNC AUGUSTUM, & SEMPER AU-
GENDUM PRINCIPEM effundat! FIAT, IN NOMINE
JESU FIAT! Hinc erit *benedicta Lutheranorum Ecclesia*, vereq;
rediviva! Misericordia, & veritas, sibi semper obviabunt, *Pax,*
& Justitia, se mutuis amplexibus, & osculis, exhilarabunt: *De*
terra Veritas orietur, & Justitia; de Cælo prospiciet etenim
Dominus dabit benignitatem bonorum, & terra nostra pro-
ventus suos multiplicabit, ante eum *justitia* constanter
ambulabit, ut *quilibet in via recte suos gressus ponere*
queat, Psal. XXCV. II. & seqq. Hæc est *Dies Fidei*, *Dies,*
quam fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea! Sic
etiam ex hac *Fidei Die* *Politia Saxonum* erit *benedicta*,
quia Dominus suam in eadem conservabit, & *magnifi-*
cabit Ecclesiam, & cum eadem omnem *Civitatem Politi-*
cam, quia *diligit Dominus portas Sion, super omnia taber-*
nacula Jacob, dum *gloriosa dicuntur in ea*, tanquam *Civi-*
tate Dei, & ad *Sion* dicetur: *Homo, & homo natus est in ea,*
& ipse fundavit eam Altissimus: Dominus predicabit in
Scriptura populorum, ut aliqui nascantur ibi, Sela. Et *Can-*
tores erunt quasi tripudiantes, dum omnes divina Scaturi-
genes sunt in illa. Psal. LXXXVII. 2. & seqq. Tandem sub
HOC BENEDICTO SEMINE AUGUSTO, quoque
BENEDICTA sit OMNIS DOMUS, & FAMILIA, ut SA-
XONIA nostra sit *Benedicta Palaestina*, quia Dominus est
Fides nostra, Spes nostra, Benedictio nostra! *Domus Israel*
speravit in Domino, Adjutor eorum, & Protector eorum est!
Domus Aaron speravit in Domino, Adjutor eorum, & Prote-
ctor eorum est, qui timent Dominum, speraverunt in Domi-

no, *Adjutor eorum, & protector eorum est. Dominus me-
mor est nostri, & benedicat nobis. Benedicat Domui Isra-
el, benedicat Domui Aaron, benedicat omnibus, qui timent
Dominum, pusillis cum majoribus, adjiciat Dominus super
nos, super nos, & super filios nostros, ut benedicti simus à
Domino, qui fecit Cælum, & terram, ut benedicti manea-
mus in Domino, & in eodem, de benedictione copiosa, glo-
riari queamus! Hac est Fidei, Salutis de dies, exultemus, &
letemur in ea! Hanc Salutem nobis Salus Jehova, vel Salutare
Domini, Gen. XLIX. 18. tanquã vero Salvator, parabit, & tan-
quã Archi-Dux, Michael, Princeps Promachus, & Symma-
chus, contra quosvis hostes, imprimis contra Draconem, &
angelos ejus, conservabit, atque confirmabit, ut ore, vel eti-
am corde læto, cum cœlestibus ex Festo Michaelis, de Victoria
nobis gratulari queamus! Nunc facta est salus, & virtus,
& regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus. Est vere
quoque fidei Dies, Dies fiducialis confessionis, & Gratiarũ
actionis, dum corde creditur ad justitiam, & ore confessio
fit ad salutem, Rom. X. 10. ubi, juxta Textum, ibidem ad-
ditur: Dicit enim Scriptura: omnis, qui credit in illum, non
confundetur, Es. XXVIII. 14. Nam beati sunt, qui confidunt in
eo, Psal. II. 13. & beati quoque sunt, qui sperant in eo! Psal.
XXXIV. 9. Propterea David in aureo luo Confitemini Psal.
CXII. conjungit utrumque v. 8. Bonum est, confidere in
Domino, quam confidere in homine: Bonum est, sperare
in Domino, quam sperare in Principibus! & maxima cum
parrhesia præmittit v. 6. & 7. Dominus mihi adjutor, non
timebo, quid faciat mihi homo? Dominus mihi adjutor, &
despiciam inimicos meos! Et sic gratitudinis Confitemini præ-
mittit v. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam
in seculum misericordia ejus: Dicat nunc Israel, quoniam
in seculum misericordia ejus: dicat nunc Domus Aaron, quo-
niam*

nam in seculum misericordia ejus: dicant nunc omnes, qui
timent Dominum, quoniam in seculum misericordia ejus.
Quam magnus Ipse, tam magna quoque dicitur ejus Mi-
sericordia: proinde Siracides exhortatur cap. II. 23. inci-
damus in manus Domini, & non in manus hominum: quan-
tus enim est Deus, tanta pariter est ejus misericordia! nam
miseratio hominis circa proximum suum, sed misericordia
Dei super omnem carnem, cap. XIX. 12. Semper igitur miseri-
cordiam Dei non tantum admirari, verum etiam venerari
debemus, & cum Jeremia Thren. III. 22. in spiritu sapius
illud ingeminare: Misericordia Dei est, quod consumti non
sumus, quia non defecerunt miserationes ejus: non defece-
runt in Ecclesia, neque prorsus desierunt in Politia, & in
Domibus quoque nostris miserationes divinae luculentissima
& locupletissima vestigia divinorum beneficiorum relique-
runt, ut vere nunc in Festo Fidei, Speique, confidenter illud Da-
vidicum repetere queamus: Hec est dies, quam fecit Dominus,
exultemus, & letemur in ea! Hic Fidei Dies verè divinus, ve-
re Catholicus, vereque fructuosus est! Verè divinus jure
nominatur, quia Deus Solus fidei tum Autor, tum Dator
est. Autor Fidei solus Deus est: Deus Pater, qui tanquam Fidei
Pater, & Autor, fidem, ut opus suum, producit ex testimo-
nio Christi, Job. VI. 29. Hoc est opus Dei (Patris,) ut creda-
tis in eum, quem misit Ipse! Deus Filius, qui salutatur ὁ ἄρχὴ-
γός καὶ ὁ τελειωτὴς τῆς πίστεως, Autor, & Consummator fidei, Je-
sus, Heb. XII. 2. Spiritus Sanctus, qui Spiritus est fidei, II. Cor. IV.
13. & ea de causa Fides inter fructus Spiritus etiam com-
putatur, Gal. V. 22. Sicut autem Deus solus Autor, ita solus etiā
est Dator Fidei principalis, prout statim in Paradiso Protopla-
stis Pater, Filius, & Spiritus S. Jehova Elobim, Pater, אֱלֹהִים,
Filius, & Verbum, & רוח הַקֹּדֶשׁ Spiritus S. primum per Evange-
lii Verbum, quod est genuinum fidei verbum, Rom. X. 8.
fidem salvificam, in Semen Mulieris, efficaciter communi-
cavit,

cavit, dum unice *fidem oculi Domini* respiciunt. Jer. V. 3. & propterea Christus *Jairo* dicit, *Luc. V. 30. Noli timere, tantummodo crede.* Est quoq; *Catholicus Dies Fidei* quandoquidem *Fides est Omnium salvandorū*, quoad omnia *Subiecta*, quoad omnia *tempora*, quoad omnia *loca*, sive respiciamus ad *Veteris*, aut *N. T. secula*, quod apodictice deducitur *Heb. XI.* ubi non tantum *Maxima Spiritus S. v. 6.* producitur: quod *sine fide sit impossibile placere Deo*; sed etiam generalis fidei *definitio v. 1.* præmittitur, quod fides sit *hypothesis sperandarum rerum, & elenchus non apparentium*: *Catalogus etiam Fidelium* ibidem ex omnibus durationū intervallis, nimirum *antediluviano*, quoad fidelē *Abel, Enoch, & Noab*; *post diluviano*, tum *Patriarcharum, Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph*, tum *Patrum, Moses & Aaron*, tum *Judicum*, quorum ratione non pauci *judices adducuntur*; tum *Regum*, &c. & omnes tales *Heroes*, paradigmaticorum fundamentorum instar, ad *N. T. fideles* referuntur, nec aliud de cunctis, post *Apostolorum tempora*, seculis in universon, est dicendum, quia manet illud *Habacuc. II. 4. ratione primi, & Pauli Rom. I. 17. ratione postremi Test.* firmū ac immorū, quod *omnis justus fide sua vivat. Fructuosus* deniq; *Fidei Dies est*, dum unice, ratione nostri, pendet à *fide*, quicquid facit ad *fidelium generationē*, propriam *constitutionem*, & *fecundam operationē*, eum *Fides Christiano*, vel etiam *Christianismo*, det fieri, det esse, det operari. Nullus certe *Christianus* fieri potest, aut solet, sine *fide*. Nā veluti, *Christianus*, ut *Homo* fit ex *naturali generatione materialiter*, sic idem *formaliter*, qua *Christianus est*, pendet ex *Spirituale regeneratione*, *Job. III. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex *agua*, & *spiritu*, non potest ingredi *regnum cælorum*, sive sit *gratia*, sive sit *gloria*, dum *caro*, & *sanguis*, *regnum cælorum ingredi non possunt*, *I. Cor. XV, 50.* *Regeneratio vero spiritualis est, Vita, fideiq;* *spiritualis communicatio*

catio, homo *naturalis* nascitur ad *vitam naturalem*, homo *spiritualis* renascitur ad *vitam spiritualem*, & vivit non in *se*, vel in *carne*, sed in *fide*, Gal. II, 20. ut *vera vita*, sit *fides vera*, versaque vice, *vera fides* sit *vera vita*, quemadmodum *Basilius* inquit: *Sicut baptizamur, ita credimus, & sicut credimus, ita baptizamur.* Idem pariter de ipso *Christianismo* valet, dum *Christianismus* sine *fide*, nec confertur, nec conferri potest, nec aliud dicendum est de ratione propria *Christiani*, vel *Christianismi*. Quando *Christianus* veram habet *fidem*, verum etiam possidet *Christianismum*: & *fidei possessio* nihil aliud, quam *Christi possessio*, sicut *Eva*, mater viventium, dicit: *possideo Virum Jehovaham*, non *carne*, sed *vera fide*: tandem & à *fide*, pendet omnis *fidei* justificantis *operatio*, si causaliter loqui velimus, quia *fides* *διὰ χάριτος ἐνεργουμένη*, vel per *charitatem* est *efficax*, aut *operosa*, nec ullum opus nostrum *Deo* sine *fide* placet. juxta laudatum antea *Sancti Spiritus* aphorismum, quod sine *fide* sit *impossibile placere Deo*, Hebr. XI, 6. imo, quod ex *fide* non est, *peccatum* esse dicitur, Rom. XIV, ult. *Dies* igitur *Fidei*, maxime *laudabilis*, maxime nobis omnibus *commendatus* esse debet, ut jure sit exclamandum, *Hic est dies, quem fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea.* Hoc *festum Fidei* primario nobis affert *fidem* non *humanam*, sed *divinam*, non *naturalem*, sed *supernaturalem*, non *abstractivam*, sed *concretivam*, non *absolutam*, sed *relativam*, non in *se* spectatam, sed in *ob-jecto* consideratam, nec in *se*, sed in *alio* notatam, non *propriam*, sed *appropriatam*, nec in *se* natam, verum ut *B. Lutherus* loqui solitus est, *incarnatam*, nec in *se* vivam, sed in *Christo* vivificatam, non in *momento suo*, sed in *alieno* spectatam. *Viva fides* est, quæ dicitur in *se* viva, *fides* in *se* *Viva vanum* superstitiosæ mentis *Idolum*, non *divinae sapientie* *mysterium*, sed *humanae vanitatis* *placi-*

tum, non divina revelationis secretum, sed humana speculationis spectrum. Est Fides revera non Idolum nostrum, sed divina gratie donum, Eph. II, 8. Fides, quæ in sese fingitur, relativa non dicitur: in sese quod est, aut dicitur, aut ponitur, in alio non proponitur, dum, quod in sese est, non est in alio. Tota fides vero Christiana non in sese, sed in Christo consideratur. Christus est in fide, tum Alpha, tum Omega, vel unice τὸ πᾶν est! ὁ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως, unice Christus Jesus est! Procul ergo à Christiana religione semper absit hoc Idolum, vel Aseitatis, vel Inseitatis, vel Perseitatis, (barbarum monstrum barbara non repuat vocabula, vel nomina!) Christiana fides vel à Christo, vel in Christo, vel per Christum, vel secundum Christum, vel propter Christum, habet, & tenet omnia! Cain sibi persuadebat, suam in sese fidem vivere, sibi sufficere, suum opus, & sacrificium Deo placere, suam notitiam, suum assensum, suam fiduciam, in sese vivere, nec Messia, vel Seminis mulieris, meritis opus esse; suam cognitionem, suum assensum, suam confidentiam, vel ex divina virtute, vel ex naturæ proprietate, vel ex cultus conditione, vel ex sacrificii divinitus instituti dignitate, &c. vitam in sese possidere, alterius, vel Seminis mulieris, vitam neutiquam adesse debere: sed Deo talis In sese fides, nec grata, nec accepta fuit. Sit Pietistarum fides, Caini fides! Placeat illa Fanaticis in sese, in proprio sese, in generali Dei virtute ante Christum, ejusque vivificam operationem, extra Christum, sine Christo, præter Christum, &c. in suis gradibus, vel actibus, in sese sua viva notitia, vivo suo assensu, in viva sua confidentia, ante Christi vivificam apprehensionem, & appropriationem, veris Christianis solummodo placet Abelis fides, in vita per Christum vivifica, vel in ejus Sacerdotali Sacrificio, sive sacrificiali Sacerdotio. In hoc unice fidei notitia viva, assensus solummodo vivus, fiducia
tan-

tantummodo *viva*. *Christus* in omnibus *μοναδικῶς vita*,
ἰσορρικῶς vita, *ἁπλοῦς vita*, *ἐξαρτέτος vita*, *ὀλικῶς vita*,
πάντως vita, cum solus ipse sine *socio*, sine *consortio*, sine
commercio, coram *Patre* sit *Via*, *Veritas*, & *Vita*. Nec *Pa-*
ter est ante *Christum*, cum ante *Christum* non *gratia pater-*
na, sed *ira simus filii*, Eph. II. 3. Ipse *nexu* immediato sta-
tim subjungit, quando semetipsum *Viam*, *Veritatem*, &
Vitam nostram salutavit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me:*
prius igitur *Christus* nobis esse debet *Via* ad *Patrem*, *Veritas*
ad *Patrem*, *Vita* ad *Patrem*, quam *Pater* nos recipere, vel
suam *gratiam*, & *benevolentiam* paternam nobis exhibere,
aut in nobis *virtute sua* quicquam operari velit, aut possit.
Ante *Christum* *Deus* *Judex* est, non *Pater*, violatae *justitiae*
vindex, non *oblatæ gratiae* *benevolus testis*, & *index*. *Pater*
est non sine *Christo*, sed propter *Christum*, non ante *Chri-*
stum, sed in *Christo*, non præter *Christum*, sed secundum
Christum. Valeant igitur *Pietistarum* apud *Spenerū* in *novis-*
simo Scripto contra *Dn. D. Schelg* *vigium* p. 260. & 261. adserta:
quod *fides* in sese sit *viva*, ante *Christum*, quod *fidei notitia*,
assensus, & *fiducia*, *vitam* habeant, & *viva* jure nuncupentur,
ante *vivificam Christi*, vel *apprehensionem*, vel *applicatio-*
nem, &c. *Vita fidei* pendet à *vivifico principio*: quando
Christus, ceu *vivificum principium*, non supponitur, nec *vi-*
ta vera subjungitur. Ubi non datur *principium*, ibi nec datur
principiatum, dum illud semper ab hoc, in omnibus, etiam
in *Christiana fide*, prærequiritur: *filius* non est ante *matrem*,
nec *effectus* ante *causam*. Et hæc *Pseudo-Christiana*, veræque
religionis absorptiva, vel prorsus *corruptiva*, *phantasmata* mi-
nime digna sunt, ut pluribus exponantur. Valeat igitur hoc
Pietisticum Idololum, *Fides ante Christum!* Rem suam habe-
ant *Elilim minorum*, vel *Dii minorum gentium*, vivens *Notitia*
ante, vel *extra Christum*, *assensus vivus ante*, vel *extra Chri-*
stum, *fiducia viva*, pariter *ante*, vel *extra Christum*, non

*Christiana, sed Anti-Christiana Sorores! sunt verè suppositi-
tia, superstitiosa, non tantùm è cordibus, sed etiam è lingvis,
& è totis Christianorum Ecclesiis proscribendæ. Cainita-
rum, pessimorum Dei filiorum antediluvianorum, in Patri-
archarum Ecclesiis omnia turbantium, Pseudo Prophetarum,
& Pseudo Israelitarum, Phariseorum, & Pseudo-Apostolorum,
Pseudo Christianorum, & Papalium Anti-Christianorum,
& aliorum μορμολύχεια sunt, mera dormientium somnia, vera
vigilantium phantasmata! Nos veneramur Fidem vivam,
Spem vivam, in gratia Patris benignissima fundatã, in Chri-
sti meritis efficacissimis, & abundantissimis, radicatum, & in
Sancti Spiritus energia solidissime roboratum, & exorna-
tum. Unicum Fides nostra, Spes nostra, cum omni sua
vita, Christum, ceu Sponsam, Amicum, Fratrem, Regem, Cir-
culum, & Centrum, &c. amplexatur, exosculatur, admiratur,
& præstolatur! In hac fide nobis gratulamur! In hac fide sem-
per unice gloriamur, quia non gloriatur Sapiens in sapi-
entia sua, fortis in fortitudine sua, dives in divitiis suis,
(nec Pietista suis in operibus bonis) sed in hoc gloriatur,
qui gloriatur, scire, & nosse me, quia Ego sum Dominus, qui
facio misericordiam, & iudicium, & justitiam, in terra, hæc
placent mihi, ait Dominus: Jer. IX. 23, & 24. De quo Pau-
lus in authentica repetitione commentarium illustrem, I.
Cor. I. 26. & seqq. nobis reliquit: Videte vocationem vo-
stram, fratres, quia non multi sapientes, secundum carnem,
non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt
mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes, & infirma
mundi elegit Deus, ut confundat fortia (Thraasonicos Pie-
tistas) & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, &
ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non gloriatur
omnis caro, in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis
NB. in Christo Jesu, qui NB. factus est nobis sapientia à
Deo, (quoad fidem,) & justitia, (quoad voluntatem,) & san-
ctifi-*

etificatio, (quoad vitam, in regno gratia,) & Redemptio, (quoad plenariam salutem, in regno gloria,) ut, quemadmodum scriptum est, nimirum Jer. IX. 24. qui gloriatur in Domino (Christo Jesu, v. 30.) gloriatur. Non autem tantum in hac Fide gloriatur, sed etiam in Spe, sicut idem Paulus omnes pios exhortatur, Rom. V. 1. & 2. justificati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriatur in Spe gloria filiorum Dei: non autem tantum in Spe gloria, sed etiam in Spe tribulationis, & ignominie, gloriatur, sicut verbis, consolatione plenissimus, addit Apostolus v. 3. non solum autem, sed etiam gloriatur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero Spem, Spes autem non confundit, quia Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Hæc copiosa Spiritus diffusio, nostra non est confusio, certa potius confisio, vel ipsius fidei, Speiq; nostræ corroboratio. Nam hæc dicit Dominus Deus, Esa. XXVIII. 16. Ecce Ego pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, preciosum, bene fundatum. Qui crediderit, non festinabit, id est, juxta glossam marginalem, non fugiet. Conscientia sauciata, si fieri posset, fugeret per montem ferreum, adeo horribiliter terretur, & pavet, quoties periculum aliquod occurrit. Sed cor, fide erectum, consistit tranquillum, & deridet etiam portas inferorum, quæ nec adversus Ecclesiam, nec adversus fidelem animam, prævalere possunt, Matth. XVI. 18. Et hoc est, quod dicitur Abrahamo, credentium omnium Patri: Noli timere, Abram, Ego sum scutum tuum, & merces tua magnanimis. Quod Patri credentium dicitur, illud omnibus, & singulis credentibus quoq; imprimis autem fidei Christi ministris, & Orthodoxis Theologis, dictum creditur. Nam Hi sunt in perpetuo mundi ne-

glectu, mundanorumque hominum fastuoso contemptu: hi peregrinantur in mediis persecutionibus, & tribulationibus, sed Deus Israel in ira media, in tribulatione media, memor est misericordiae suae, Hab. IV. 2. & Archi Dux Michael, militiae Jehovae Princeps, Jos. V. 14. mirabiliter suos Commilitones ducit, Psal. IV. 4. per colles, & valles, per aspera & austera, per saxa, per ignes; sed sub hoc vivificae consolationis clypeo: noli timere, quia redemi te, & vocavi te, nomine tuo, meus es tu; cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non comburearis, & flamma non ardebit in te, quia Ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, Salvator tuus, Es. XLIII. 1. Si calamitosa praesentis temporis fata, quibus Lutherianorum Ecclesia mirum quantum! premitur, Orthodoxorum, & Cordatorum Doctorum Ordo variis modis supprimitur, & omnis fidelium Coetus tantummodo non opprimitur, leviter attingere, vel limis saltem oculis aspicere, aut generalissimas malorum classes percensere vellemus, numero nec initium, nec terminum, invenire, neque justum pagellarum spatium definire possemus. Somniant quidem Fanatici Seculum Aureum, Millenarium justorum, & Sanctorum, pacificum, & quae non felicitatis cujusvis secula. Sed habeant sibi talia suavissima somnia! Nos cum Michaele Christo strenue crucis militiam militare, more Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & aliorum Martyrum, ac omnium fidelium Bellatorum vestigia servare, continuas contra Satanam, & alios hostes Spirituales, pugnas tolerare, perque multas tribulationes regnum caelorum, in Fidei, Spei, & Victoria, sub mediis armis intrare debemus. Letamur in Domino, nobisque gratulamur, de multitudine, & magnitudine certaminum, in quibus, sub auspiciis Michaelis, benedictionis quoque & letitiae, Victoria, & Gloria Solennitates celebrare possumus! DEO proinde sit Laus, Honor, & Gloria, qui, furente Dracone, frementibus veritatis hostibus, ringentibus, falsis fratribus, & aliis afflictis Wittebergae, cum primis Facultatis Theologicae, malevolis, Nobis in.

pra-

præsenti maxima parat munera, purissima donat gaudia, siquidem ex cœlesti Gratia, & Superiorum indulgentia, Solemnitatem Academicam, Doctoralem Aulam Theologicam, hoc Programmate, Præconis instar, proclamo, & in Tabulis publicis, consveto more, hoc Facultatis Diplomate, tanquam Decanus, eam intimo!

Quod igitur faustum sit, & fortunatum, & in omnibus, ex divina Clementia, benedictum, in Nomine Summi Religionis, & Ecclesiæ Patroni, Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Dei semper benedicti, sub Indulgentissimis Auspiciis, AUGUSTISSIMI, & POTENTISSIMI DOMINI, DN. FRIDERICI AUGUSTI, MAXIMI POLONIARUM REGIS, &c. SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIUM, NEC NON ANGRIÆ, ET WESTPHALIÆ DUCIS, SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIS, ET ARCHIMARESCHALLI, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, AC UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVII MAGDEBURGENSIS, &c. &c. &c. Herois Invictissimi, Domini, & Nutritii Nostri Benignissimi, Rectore Magnifico, Viro Nobilissimo, Amplissimo, & Excellentissimo, DN. CONR. SAMUELE SCHVRZFLEISCHIO, Polyhistore incomparabili, Historiarum, & Græcarum Literarum Professore Publice laudatissime, Promotor, ad hanc Aulam Doctoralem, juxta leges publicas designatus & Senatus Consulto totius Collegii destinatus, Vir Summo Reverendus, Magnificus, Amplissimus, & Excellentissimus, DN. JOHANNES GEORGIUS NEUMANNUS, SS. Theol. Doctor, & Prof. Publ. Celeberrimus, Electoralium Alumnorum Ephorus vigilantissimus, Bibliothecarius Academiae meritisimus, &c. OCTO Theologiæ Doctoribus, in hac Academia, per Dei Gratiam, sine exemplo (Deo sit LAUS & HONOR, ET GLORIA!) Viris Laudatissimis, Maxime Reverendis, Amplissimis, & Excellentissimis, de re Ecclesiastica variis in locis jam optime meritis, & per divinam adfuentiã, adhuc præclare merituris, (quos antiquo more, juxta Matriculam Licentiatorum, citra præjudicium Honoris, & Dignitatis, ætatis, & Ministerii, loci, Meritorum, vel aliorum respectuum hic sistimus.) DN. L. JOHANNI HENRICO MELISSANDRO, Numburgensi, Pastori Gleichã, Blanckheim. & Cranichfeldensi Superintendenti, dudum bene merito, nec non in utroq; Consist. Assess. Primario. DN. L. JACOBO WÆCHTLERO, Pastori Beltzigensis Ecclesiæ Meritissimo, Vicinarumque Superintendenti Vigilantissimo. DN. L. JOHANNI VOLCKMARO, Hamburgensi, Ecclesiæ Pa-

trie

triæ ad D. Catharinæ Pastori Primario Laudatissimo, & Scholarchæ Gravissimo.

DN. L. GERHARDO MEJERO, hætenus Celeberrimi Gymnasii Hamburgensis Prof. Log. & Metaphys. Publ. & p. t. Rectori Meritissimo, nunc autem vocato Pastori ad D. Benedicti Ecclesiæ Quedlinburgensis, ut & Reliquarum, & Scholarum Superintendenti, nec non Consistorii Principalis Assessori Gravissimo,

DN. L. JOH. HEINRICO FEUSTKINGIO, Ecclesiæ Jessenensis Pastori Dignissimo, Vicinarumq; Superintendenti Merentissimo.

DN. L. CHRISTIANO LEHMANNO, Ecclesiæ Freibergensis Hermundorum Pastori laudatissimo, Ejusq; sicut & Vicinarum, per integrum Amplissimum Circulum Superintendenti Meritissimo.

DN. L. CHRISTIANO Gotthelff Blumberg, Ecclesiæ Radebergensis Pastori Primario, & Scholæ Inspectori dignissimo.

DN. L. GEORGIO CHRISTIANO EILMARO, Ecclesiæ Heldtungenensis in Thuringia Pastori Vigilantissimo, Vicinarumque Superintendenti Gravissimo.

Supremos in Theologia Doctores Honores, Insignia, & Privilegia, sub Præsidio SS. Trinitatis, & Michaelis, Principalis Doctoris, in Synedrion Sanctorum Angelorum Ecclesiæ toti, & Academia, futuro die Jovis, qui felicibus avibus Octobris dies 6. erit, in Templo Sanctorum omnium, Fonte primo Lutheranae Reformationis, consuetis, & receptis ab Antiquitate Ritibus, atq; Ceremoniis Solemnibus, publicè conferet, sanctisque precibus, una cum tota Concione coacta, plenissima Sp. S. dona futuris Ipsorum Laboribus, Certaminibus, & Meritis, ex Cœlesti Gratia, & Autoritate publica decernet! Ad hanc Doctorem Aulam Magnificum Dn. Rectorem, Illustrissimos Dn. Barones, Patres, ac Cives Universitatis, nec non Honoratissimos Dn. Hospites, & Auditores omnium Ordinum, solenniter invitamus: Patremq; misericordiarum ex intimis invocamus, ut Ecclesiam Lutheranam oculis gratiæ semper respicere, Verbum Veritatis in Hoc omnium SS. Templo, primæ Reformationis Sanctuario, constanter ad seculi consummationem usq; magnifacere, adversa quævis clementer avertere, Imprimis Maxime Reverendos Dn. Doctores omni benedictione, ad sui Nominis gloriam, largissimam Ecclesiæ militantis ædificationem, magnorum, multorumq; meritorum accretionem benigniter augere, felicissimisq; Successibus, & Eventibus, totam ipsorum vitam adimplere, Nos autem omnes vasa gratiæ propter Christum efficere, clementissime velit! Sit Deus noster, in omnibus gloriosus, & benedictus, per omnia secula seculorum, Amen, P. P. Dom XV. post Trin. M DC IIC.

r-
fi
e-
ia
n-
fis
o.
r-
er
o.
r-
el-
ve
ia,
e-
o-
ri-
n-
is-
na
&
fi-
fi-
er-
nis
re,
m-
fa
m-
m-
ei-
itā
te-
oer


05 A 655

ULB Halle 3
004 207 688


1077

del.





IN NOMINE JESU, SUMMI DOCTORIS !
DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI,
D. JOHANNES *Deutschmann*/
PROFESSOR PRIMARIUS, COLLEG. THE-
OLOGICI SENIOR, ACADEMICI TEMPLI PRÆ-
POSITUS, ET ALUMN. EPHORUS,
FIDEI, SPEIQVE
TEMPLUM,
SUB DIVINÆ GRATIÆ FELICIBUS AUSPICIIS,
IN TEMPLO SANCTORUM OMNIUM,
AD SOLENNEM DOCTORALEM AULAM
THEOLOGICAM,
IN SUPREMI NUMINIS HONOREM,
ECCLESIAE MILITANTIS FLOREM,
ET DOCTORANDORUM CONTINUAM
FELICITATEM,
INTIMAT,
ET AD DIEM JOVIS, VI. OCTOBRIS, FUTURUM
OMNES LECTORES, RELIGIONIS,
ET PIETATIS, AMATORES,
AD PANEGYRIN DOCTORALEM,
DIVINITUS DONATAM,
EA, QVA PAR EST, REVERENTIA,
PIIS PRECIBUS INVITAT !